

& solatio conuersetur. Similiter magnates quoq; benevolentia & officijs natum prosequentur huius decreti tempore.

Quando uero Luna occurrit Venus, eius trinus, sextilis, uel terminus, nato commodum tempus et salubre haec progressio denotat, reddit animum omnibus curis solutum, suauem cōuictorem, mulieribus charum, charā coniugem tribunt, uul-
gus hoc tempore natū suscipiet, & honoribus prosequetur. Est & matri fœlix & fau-
sta progressio, pro animi & corporis bonis.

Cōtra uero Luna si occurrit quadrato uel opposito Veneris, decernit hēc pro-
gressio mulierum gratia, infortunium, & propter fornicationes, infamiam.

Lunæ quando occurrit Mercurius, eius trinus, sextilis, uel terminus, animum
nati eruditis cogitationibus reficit, & audum facit earum artium, quæ Mercurio tri-
buuntur, quare Mercuriales sectabitur, qui uicissim eum amore, & omni officiorum
genere prosequentur.

Contrà ad Lunam per progressionem occursus quadrati, uel oppositi Mercurij, natum auertit ab etuditis, uel de Mercurialibus artibus, cogitationibus, & inui-
sum reddit artificibus de Mercurij dominio, ac inter natum, & eos serit contentio-
nes seu altercationes gratia alicuius doli aut criminis falsi cōmissi in literis, uel rati-
bus, uel contractibus. Hic etiam occursus facit, ut natus male audiat præter suam
culpam. Verum hēc omnia pro genituræ modulo accipienda sunt.

Lunæ occursus, cum ad suum quadratum uel oppositum aspectum pertingit,
efficit corpus nati languidum, & inclinatum ad ægritudines de frigidis & humidis
causis. Hoc tempore natum oderunt tum mulieres, tum vulgus.

Contrà Luna, cum ad suum trinum aut sextilem per profectionem peruenit,
conciliat nato fauorem nobilium mulierum & uulgi. Hoc tempore lætam fortunam
in itineribus, & reliquis negotijs omnibus experietur.

Quando Lunæ occurrit caput, uisui infert imbecillitatem quandam, cætera fa-
tis fausta & læta promittit.

At Lunæ quando occurrit Cauda, præterquam quod nocet uisui, coniçit na-
tum in uehementes animi motus, iram & contentiones. Caveat etiam sibi à uenenis
in cibo aut potu, aut à profluvio uentris, præcipue si tale quid influentiæ cœli nativitatis
tempore significauerint.

De medijs cœli, & eius domini progressionibus.

Medijs cœli, & eius domini progressiones obseruamus ad præuidendos
eventus de magistratibus, & honoribus, quos subditi in natum colla-
turi sint. Hæ namq; progressiones præmonstrant ad quæ reipublicæ
munia subditi uocaturi sint natum, quæ natu sit futura autoritas, præ-
minentia, aut amplitudo in magistratu, & quantos nato decernent
honores. Præter hæc obseruamus progressiones medijs cœli, & domini eius, pro
dijudicatione actionum, studiorum, & artis genere, seu magisterio natu. Item pro ac-
cidentibus natu.

Quando igitur Medio cœli, aut eius domino occurrit Saturnus, eius quadratus
oppositus, aut terminus, iudicamus subditos aduersaturos dignitatj, & honoribus na-
ti, ueluti si cogant natum ut à magistratu cum ignominia discedat, & eum omni dig-
nitate, & honoribus spolient. Item tempore huius directionis studia, & artes nato
infeliciter cedunt, adeo ut etiam per eas damnum faciat. Actiones, & negotia natu
ita differuntur, ut uix tandem, & cum detimento perficiantur. Apud agricolas, &

Ff iij & senes